

sed, vt *causa obligationis specifica* vel verbis expressis enuncietur, vel saltim ex facti narratione colligi & elici a iudice queat, requiritur, id enim *iuri scripto* quam maxime conuenit. Falluntur igitur & fallunt, qui sibi aliisque persuadere volunt, per potestatem iudicii datam, *simpliciter & sola facti veritate inspecta* iudicandi, huic vagum & quod *aequo* non est analogum *arbitrium* concessum esse, vt auctorem per libelli interpretationem adiuuare possit per sententiam, quae ad aliam actionem, quam quae in iudicium deducta est, adcommodata est. Quamuis enim ex sententia HONORII III. (f) iudex ita datus in his, *super quibus ius non inuenitur expressum, aequitate seruata, in humaniorem semper partem declinando, secundum quod personas & causas, loca & tempora viderit postulare*, procedere queat: sicutamen officii debitum sic semper adhibito moderamine exequi debet, vt, in quibus *certum ius expressum* est, iuxta *iudicij formam & iuris ordinem, qui cum vigore aequitatis, in quibusunque iudiciis obseruandus* est (g), *sententiae quoque forma dictetur* (h).

Velim igitur veteres iuris interpretes, rei per se planae nullas tenebras obduxisse, nec tantas turbas excitasse, quibus etiam nunc iudicia percrepant, quotiescunque *de officio iudicis* in adiuuando auctore, per aequam libelli interpretationem, per quod iure romano nihil aliud intelligitur, quam quod vel iudex pedaneus (i), vel ius dicens (k) facere debuit, quaestio incidit. Praeterquam enim, quod GREGORIUS IX.

C 2

pon-

(f) In Cap. ex parte tua final. X. de transact.

(g) Cap. in causis 19. X. de sententia & re iudic.

(h) Cap. licet 31. X. De Simon.

(i) L. 44. D. de hered. petit. L. 43. D. Locat.

(k) L. 4. D. de damn. infect.